accedere videntur: si n. astrologus pulex, cur, quaeso, mortales
ventorum vires et turbines, imminentesque tempestatum procellas,
ex Kalendarijs, ut vulgo nominant, sciscitantur? cur toties
coeleste illud sydus, Lunam dicere volo, colorum vires ex ~~ei~~
eo coniecturi inspiciunt? cur astrorum lumina, an serenum,
an nubilum, an pluviosum mittentur diem, tam curiose con-
templantur et observant? cur non haec omnia ex pulice,
quem continuè ad manus habent, sciscitantur, cur non
consulunt illum potius, certè si pulex astrologus foret, nullus
dubito, quin secretâ astrologiae scientiâ, omnia Kalendaria
Vulcano traderentur: nec tanto labore deinceps mortales
tempestatum imminentes procellas, ventorumque vires cognoscere
studerent. Sed fortassis AA. humaniss. principia
laudis pulicis accedet ob praeclaram et insignem natandi peritiam,
quâ non minimum excellere, imò et ipsos urinatores superare
deprehenditur: at quaenam haec laus esse potest? nunquid hydri,
pestilentesque chelydri natare sciunt? verum ut hic nihil est
homine miserius quod natare nequit, ita nihil pulex pulice plus
quod natare callet: aliud igitur quod laude mereatur
in pulice quaerendum est; sed quid est, quod laudare valeam
aut quod laude dignum esse censeam, an quia fullonis offi-
cium peritè fungitur? sed hoc falsissimum esse video, non e-
nim vestes purpurat, sed maculat, non ostro intingit, sed sor-
dibus opplet: an quia peritus, nec non et liberali gestis
germanus? sed quis rotundas illas, rubeasque alas, quas